



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Conso||lacione Ivsto-|||rvm

Hillesheim, Ludwig

Coloniae, 1572

VD16 H 3678

Ad Reverendvm Nobilem Virvm Ac Dominvm, D. VVolfgangum ab Eltz,
Archidiaconum Cardonæ, ac Sancti Paulini apud Treuerim Præpositum, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60369)

AD REVEREN-
DVM ET NOBILEM
VIRVM AC DOMINVM, D.

Wolfgangum ab Eltz, Archi-
diaconum Cardone, ac Sancti
Paulini apud Treuerim Præ-
positum, &c.

In Elegiam de morte hominis iusti Ludo-
uici Hillissemij Andernaci,
Præfatio.



Vmana natura cor-
rupta & contami-
nata vitijs, difficil-
limam habet ratio-
nem suæ conseruã-
dæ salutis, oppugnata assiduò
malorum dæmonum vi, vt sedem
sibi propè ad infernum consti-
tuat, nisi ad Deum manus preces-
que semper tendens, peccato suo
miserij

misericordiam postulet, & ut gratia eius subleuetur & adiuuetur DEVM imploret. Horum vtrunque, ij, qui confidunt deo, & spem suam in eo collocant, adsequuntur, inter infesta omnia lumine clementiae coelestis, ipsis alucente. Atque haec iustorum hominum consolatio est, inter lōgos mœrores, & perpetua certamina vitae, quum nunc incommodis corporis, nunc mentis afflictis, omnibus exterrentur, nec quicquam in terris, quo nitatur, firmum ac securum habent. Sed haec omnia illis tendunt ad confirmationem virtutis suae, Deo praesente, cuius providentia nunquam deest rebus piorum. Quanquam autem eis in vita infesta omnia sint, tamen cum in advi-
ta

tae finē ventum est, acrius appetū
tur omnibus insidijs, odio inex-
piabili malorum spirituum in an-
gustum redacti. Verūm in tan-
tis rerum angustijs deus adiuuat
eos, ne ad summum interitū per-
ueniant, & quoniam iam obeun-
da mors, & breue iter ad migran-
dum in cœlum superest, oleo cō-
solationis suæ corda eorum inun-
git, & internè lætantem fiducia
inspirat, vt euehantur spiritu ad
diuina, & omnibus insidijs ten-
tationum resistent. Quàm beati
ergò, quorum omnia studia in vi-
ta cum Deo coniuncta fuerunt,
nunquā illi spe sua decepti erunt,
solatium in Deo firmum atq; in-
gens, in vita & in morte semper
habebunt. Aderunt angeli Deiq;
ministri, qui laborantibus assi-
stant,

stant, & inferni tenebrarum re-
tores arceant, & duces in cœlū
fint. Caueamus ergò in vita ab
Dei offensiōe & ira, & in ipsius a-
more ac gratia nobis posita spes,
& adueniente morte fiducia esse
possit. In hunc semper intenden-
da mens, & defigendus animi est
ardor, vt offerri in eius diuino cō-
spectu, cordis nostri ipsi humili-
ter addicti sacrificium queat.
Si enim nunquam abscedemus à
Deo, nunquam nobis deerit ma-
nus Dei, animam nostram extra-
hentis ex periculis illis quæ noce-
re ei possunt. Deuoueamus nos
tantum illi, ac mysterium beatæ
redemptionis, in quo credenti-
um est salus aduersus vim hostiū
spiritualium opponamus, offera-
musq; ita vitam nostram Deo,
à quo

à quo illam accepimus. Hæc via est DEVM timentium, & expectantium beatam spem filorū Dei, qua illi & summos labores ferunt, & infirmitate sua omnē inferiorum potentiam vincunt. Hæc vt accommodata ad salutis nostræ rationem sint, proposita & expressa à nobis quædam imago est, eius certaminis quod iusto homini sub vitæ finem aduersus spirituales angustias suscipiendum est, sumpto & vtcunque verso argumento è Desiderij Erasmi, & Ludouici Beri Theologi de præparatione ad mortem libris. Huius assidua contemplatio, necessaria in primis est ad omnem auferendum dolorem, & vtilitati nostræ accommodata, vt in Dei timore perstemus:

ac

ac referta sensu æterno iustitiam, quæ nõ à metu tantum libera fit, sed & illã in immensum attollat spem immortalis vitæ, quæ in vna Dei misericordia iustis hominibus reposita est. Quæ enim nostra erga illum merita sunt? aut quid est in nobis, quod nos præstãtia aliqua superbos aduersus illum facere possit? Multa nos deficiunt, quæ Deo sponte præstanda sunt, vt in summa neglectione officij, ad culpam potius respiciendum sit, quàm vt gloriatio aliqua rectè à nobis factorum oriri in mente vnquam debeat. Itaq; hoc pijs & probis mentibus propositum est, vt fruantur præmijs pietatis suæ, quibus eos dignos Dei misericordia & benignitas efficit. Hæc enim

enim actionibus nostris, quibus Deo sumus astricti, ac quæ per se languentes & minùs integræ sunt, dignitatem tribuit, ad firmum salutis ac iustitiæ nostræ fundamentum constituendum.

Atque hæc humilitas nostra, mercedem nobis à Deo, & fructum sempiternæ vitæ referet, vt cum nostræ preces, nostræque opera cum Dei gloria coniuncta sint, beata spes iustitiæ nunquàm à nobis absutura sit. Commemorant historiæ nostrorum, inter sanctos viros ac monachos, qui Aegypti solitudines incoluerunt, quendam fuisse perpetuò triste, quum menti suæ obuersari semper tempus illud diceret, quo anima eius migratura è corpore foret, atque ipse Deo sistendus,

H eiusque

eiusque in se sententiam auditurus esset. Alium verò semper hilarem ac lætum, quod bona spes qua se applicasset ad Deum, ac diuinæ iustitiæ inhærere studisset, nunquam eum deceptura esset: hæc animo simul complexa, nec mentem efferri, inq; delictum labi, aut fiduciam in Deum ruere vnquam sinent: vtraque ratio salutaris, vt illa quidem vitâ gubernet, hæc morti propior sit, quæ humanæ imbecillitatis trepidatione deposita certissimum in Dei fauore præfidiû statuat, nec abduci ab cõstantia, vlla se perturbatione patiat. Hæc qui agût, illi verè beati erunt, eorum quæa morte, spiritus & animæ viuent apud Deum, etiam supremo iudicij die corporibus resurrecturis ad

ad gloriam. Imple mentes nostras spiritu tuo Deus, vt fideles ministerium tibi semper praestemus: & in medijs turbis vitae, nos tuere, ne instigante satana, perturbati crebris imaginibus malorum, succumbamus fragilitati, sed ex quotidianis praelijs, & omnibus fluctibus tentationum & ærumnarum, erepti in hoc seculo, reddamur tibi seruatori nostro Iesu Christe, ad beatam ac sempiternam vitam. Hæc directa ad Deum mente præfatus sum in Elegiam de morte hominis iusti consolatoriam, quam ad te Reuerende Domine, virum & familia & dignitate in Ecclesia illustri nobilem mitto, vt cum Reuerendissimo Archiepiscopo Treuirensi patruo tuo, libri de consolatione

ne iustorum inscripti essent, hæc
quæ eodem pertinerēt ad te mit-
terentur, quod pietatis ac religi-
onis erga summum Deum tuæ
præclara effigie inductus, non
inacceptum tibi fore hoc animi
mei studium existimarem. Itaq;
Deum, ad cuius gloriam om-
nia conferenda, sunt precor,
vt Reuerendam Dignitatem tu-
am sua gratia tueatur ac
conseruet. Andernaci

Anno salutis hu-
manæ. 1571.

Elegia